

$\pi$  h  
818



*Handwritten text, partially visible on the right edge of the page.*



B. h. H. 335.  
h. 65, 22.

Q. F. F. S.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,  
DE

II R  
818

EO QUOD JUSTUM EST CIRCA

# AURIGAS,

Non

## Rechte derer Puberleute /

Quam

DEO PROVIDENTE & CLEMENTER ADJUVANTE,  
*Ex Decreto ac Autoritate Magnifici, Amplissimi atque  
Celeberrimi FCTORUM Ordinis*

IN

ILLUSTRI atque PERANTIQUA ELECTORALI  
UNIVERSITATE HIERANA

### PRO LICENTIA

*Summos in Ultroque JURE HONORES, IMMUNITATES &  
PRIVILEGIA ritè obtinendi,*


In Auditorio Juridico Collegij Majoris  
*Die 14. (24.) Septembr. Aò. M. DC. IC.*

Howis consvetis

Publicæ Eruditorum Disquisitioni exponit

# PETRUS Meith /

Camentiò-Lufatus, Advoc. Lipsiens jur.



ERFORDIÆ,

Excudebat JOH. HENR. Grosch / Acad. Typogr.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANÆ

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

L. D. J. J. J.





## PRÆFATIO.

**T**ibi BENEVOLE LECTOR me loco Dissertationis Inauguralis in materiam de Aurigis incidisse, procul dubio magna admirationi erit, propterea quod thema non adeo curiosum nec gratiosum est. Quæ si considerassem, parum abest ut neglectui habuissem; Verum enim verò non minus hujus materie raritas ac utilitas mihi stimulum dedere, adeo ut hanc disputationis incudem revocare animum inducerem. Quoad illud enim hactenus paucorum hoc in themate occupata fuit diligentia, nec unus idemque scribendi ac tractandi eis fuit modus ac scopus. Sub Præsidio enim Dn. D. Ferdinandi Christophori Harprechti, P. P. 1693. Dissertationem Inauguralem de Jure Aurigarum circa contractus, & quæ illorum securitatem & indemnitatem spectant, Tubingæ Dn. Johannes Erhardus Schnepff habuit. Non adeo ab hac materia videtur etiam aliena Dn. D. Frederici Philippi, Jcti & Practici celeberrimi, Facultatisque Juridicæ Lipsiensis Assessoris gravissimi Disputatio de Rhedis Meritorijs von den Land-Rutschen Lipsiæ 1685. hab. Ast nulla prorsus aliæ Disputationes, neque Tractatus, neque Commentarius de Aurigis & eorum jure tractans, etsi omnem movi lapidem, ad meos venere oculos, nec etiam tales quis reperturus est. Quoad hoc mihi thema meditati istud eligere placuit, partim ob modò recensitam (cui ante omnia ratio habenda fuit) utilitatem, partim ob datam hujus materie occasionem. Utpote ante aliquot annos Fratrem meum Mercatorem Görlicij auriga conveniens processum, (de quo infra mentio fiat,) instituebat, quâ in Causâ ego, quantum mea permisit absentia Fratri adstiti supplicando, &, ut

A

penitus

penitus ad Inauguralis Disputationis mihi thema destinarem, me commovit. Ut taceam mei Patris pariter atque Sororis quâ viduam quâ amictum ex mercaturâ quamvis vili sibi quarentium negotia. Hac omniâ ad consequendam hujus materie cognitionem satis occasionum & majorem ansam mihi præbuerunt. Quibus de Causis sepositâ ulteriori commendatione & verborum prolixitate opera pretium fore existimaui ea, quæ sparsim Dd. de Aurigis iradidere & quæ collegi, secundum ingenij usus parium instructi imbecillitatem & tenuitatem in medium proferre, inque quatuor capita, quorum primam de Aurigarum nomine, Varietate, Societate definitione & statu. 2.) de eorum jure ante iter institutum 3.) de Jure Aurigarum in itinere & 4.) de Jure ipsorum itinere absoluto dispecere mihi proposui. Faxit DEUS Teroptimus Maximus, ut ejus Auxilio & Spiritus S. Assistentiâ felix faciam auspiciis, & in ejus Gloriam & Justitiæ Promotionem finem attingam!

## CAPUT I.

DE

### Aurigarum Nomine, Varietate, Societate, Definitione & Statu,

§. 1.

**N**on est, quod anxius sim de Vocabuli, in rubro contenti, enucleatione tam Etymologicâ, quàm Synonymicâ, ut & Homonymicâ multa dicere; Interim tamen, cum Jcti semper & ante omnia in verborum explanatione & inquisitione fuerunt solliciti, uti de Ulpiano constat ex l. 1. pr. de J. & J. l. 1. ff. de pact. l. 1. 2. §. 2. ff. d. R. C. quod potior rerum, prior tamen verborum habenda sit ratio. arg. l. 7. §. ff. de supp. leg. hinc absolum non erit, paucissimis dissertationis inscriptionem reddere clarierem. Sciendum autem Lexicographos vocem Aurigæ ab aureis sive loris circa equis jugalis aures religari consuetis deducere: Alij ab aureis sive loris & regere, quia lora regere

regere auriga solet; Alij volunt Aurigam quasi aureigam, qui aurea agit, *vid. Matth. Martin. Lexic. Philolog. verb. auriga.* Aliàs si literarum transpositioni & anagrammatibus credendum, possit auriga exinde originem trahere, quippe mediantibus his ex aurigâ possunt componi vocabula: VAGARI & GRAVIA, nec inconvenienter, eò quòd aurigæ ubique VAGANTUR GRAVIAQVE mercium onera vehunt.

§. 2. Vocantur aliàs Gubernatores curruum. *Faber. in thesaur. latin. sub Voc. Auriga.* Plaustrarij. l. 27. §. 33. ff. ad L. Aquil. Glossa ad L. 5. ff. ad exhibend. Carrucharij & Cisiarij dicuntur, exinde, cum cisium evertunt, vehendaque quassant. l. 13. ff. locati. de quo *Godofred. ad L. 11. §. 3. in not. lit. a. ff. locat.* Gallicè appellantur Chartier, Roulier & Voiturier; porrò Vectores & Vecturales. *Molignat. de retent. Q. 47. §. 329. Perr. de Ubald. de duob. fratr. Q. 27. num. 28.* Item aurigatores, quia aurigare solent. *Matth. Martin. dict. Lexic. §. d. voc.* Plura nomina, si quid ad scopum facerent, annecti possent, sed silentio ea involvere magis placet.

§. 3: Explicationem Synonymiæ excipit Homonymia, & hic animadvertendum, non quemlibet verum Aurigam quàm talem esse qui datâ occasione paucas merces vehit, quia à potiori fit denominatio 1.) **Kärner / weiln sie gemeiniglich einen Karrn mit 2. Rädern haben** / quales in regijs vijs & Lipsiæ quotidie per plateas conspiciuntur & vehunt, quo nomine indigitantur apud *Carpz. P. 4 C. 41. D. 15. in fine præjudicij.* nisi currus maximè onerati, qualibus aurigæ in Thuringiâ alijsque locis utuntur 2.) ad tempus est auriga nominandus, qui interdum aurigis subvenire solet, subvectando merces de pago vel urbe in alium locum, uti Numburgensium nundinarum tempore rustici Lipsiensium Mercatorum merces Numburgum & retrorsum vehunt. l. 5. §. 2. ff. de præscript. verb. l. 13. §. 13. ff. locat. cond. Nec Rhedarium hic intelligo, quippe is saltem homines, parum vero vel raro merces vehit, quæ differentia in eo consistit, **daß sie Rufscher genennet**

genennet werden / it. *Mittkutschcher. vid. Berlich. P. 1. Concl. 64. num. 73.* & celerius quàm aurigæ pergunt, invehuntque. Notum enim est Rhedarios Lipsiæ in Collegio & Societate vivere; **Sie haben eine rechte Innung und** Articuli numero 22. quos Senatus Lipsiensis *anno 1674.* debito confirmavit modo: Quales autem sint, alio tempore explanaturus, hâc vice autem sparsim aliquot recensiturus sum. Accedit hæc differentia, quòd Rhedarij cum aurigis non sint comparandi, quia coram foro Mercatorum Lipsiensi conveniri nequeunt. *vid. Neue Leipziger Handels-Berichts-Ordnung. de anno 1683. Tit. 3. ibi: dann Fuhrleute / die wegen nicht zu rechter Zeit oder nicht wohl und schadhafft gelieferter Güter halber in Anspruch genommen werden / &c.* Hinc quod Dn. Joh. Adam Weber, Ss. Theol. D. in *Curiosorum discursuum libro Norimbergæ 1684. typis impresso* de velato curru maximâ admiratione dignò scribit, mediante quo quatuordecim hollandica duarum horarum spatiò milliaria peragi potuerunt, nullatenus cum aurigis quid commune habet. Memorabile est, quod in *2. Reg. 2. vers. 11. & 12.* de Eliâ legitur, qui curru ignitisque ad cœlum vectus fuit equis, & hic per metaphor. aurigæ nomen ad sublimiora referri potest. Nequaquam etiam intelligo h. l. aurigam signum cœlestis, *Tbes. Fabr. de voc.* sed saltem aurigas currus mercibus onustos vehentes & plures equos jungentes, in quo sensu h. l. vocabulum aurigæ acceptum volo. Quod attinet Particulam *circa*, eam in jure multiplicem quoque habere usum ostendit Dn. Strauch. in *Lex. part. jur.* hic verò ejusdem fermè est valoris, ac tò quoad, quomodo. *l. 9. §. 2. ff. de Offic. Proc. & leg. in l. 14. ff. de probat. & in cap. 4. de elect. in 610: ibi ut circa electiones &c.* Plures aurigarum differentias adducere nunc brevitatis studio supersedeo.

§. 4. Præmissis itaque generalibus quibusdam, quæ ad præfixi thematis dilucidationem pertinere videbantur, sine ullis verborum ambagibus ad definitionem progredior: Est autem

Auriga



Auriga persona habilis, quæ mediante curru & equis instructis conducentium merces non illicitas expressâ vel tacitâ mercedis conventionem de loco ad locum advehere & transvehere solet. *arg. l. 13. §. 13. ff. locat. Hartmann. Pistor. quest. 18. num. 11. Carpz. P. 2. C. 26. Def. 19.* Hanc Germani usitatissimâ prosequuntur denominatione. **Fuhrmann / Fuhrleute / weiln sie Wahren und Leute fuhren** *vid. Calepin. dict. voc.* Inde persona vecturam exercens debet esse 1.] justæ ætatis & 2.] sanæ mentis, ratione illius prohibetur Auriga esse infans. §. 9. *J. de inutil. stipulat. l. 34. §. 1. ff. de contr. erat.* hujus verò intuitu furiosus & omni intellectu & sanâ ratione destitutus. §. 8. *J. de inutil. stipulat. l. 25. C. de Nupt. arg. l. 2. ff. de inoff. test.* His annumerantur prodigi, qui nec modum nec finem expensarum faciunt, & metuendum esset, ne res vehendas dilapident. *l. 1. pr. ff. de curat. intellige tales, Magistratus sententia declaratos. Habn ad Wesenb. de Curat. Fur. num. 2. Publicani, milites. l. un. C. negot. ne milit. l. 15. C. de re milit. quippe alijs superesse nequeunt negotijs, & ea solum quibus addicti sunt, peragere obstricti, minimè verò vecturam exercere possunt. arg. l. 31. C. de locat. cond. ut silentio præteream Hæreticos & Manichæos. l. 4. C. de hærecic. Prædones & similes, quibus ut fidei Christianæ hostibus, ipsoque jure proscriptos omnia commercia interdicta. Loccen. de juram. L. 2. c. 3. Commercium vecturæ autem est honestum vitæ genus, & hoc exercentes non immeritò cum opificibus alijs comparandi, eò quod uti supra §. 3. dictum. Collegia & arcam communem habere ijs permissum. *cf. Matth. Steph. intr. de Jurisd. lib. 2. p. 2. cap. 6. num. 83 seqq. Carpz. P. 2. C. 6. D. XI. quod tam ex statu libertatis l. 3. ff. de l. & j. quàm Civitatis. §. f. J. de libert. descendit, & Reipubl. Cives sunt, & ejus jure utuntur. i. 1. pr. ff. ad municipal. l. 7. C. de incol. Bachov. Tit. ad Municipal. lit. B. §. in Comment. ad l. 17.* Minimè tamen de ijs, quæ Aurigæ cum alijs subditis sint communia acturus, sed saltem de ijs quæ Aurigas, quæ tales attinet, verba facturus sum, hinc progressum facio & considero.*

## CAPUT II.

De

### *Jure Aurigarum ante iter institutum.*

§. 1.

**V**aria Aurigis ante iter institutum esse observanda, variosque inter eos celebrari contractus non negandum est; Horum autem frequentissimus est locatio conductio *pr. §. 1. 7. de locat. cond. l. 22. in f. ff. comm. div. de cæteris hoc perlustrato dicatur*; Hujus contractus substantiale est consensus *l. 1. l. 14. ff. locat. cond. l. 24. C. d. t.* quo præsupposito auriga etiam operas suas locando & ad receptionem mercium vehendarum se offerendo i.) inquirat **CONDUCTORUM STATUM ET CONDITIONEM**, *Mev. ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 2. num. 20.* an sint pacis publicæ Rei, Rebelles, Banniti, Latrones, Fures, Impostores, Crumenifecæ, **Beutelschneider** / Blasphematores, Zingari &c. quales si sint & Auriga pro explorato habeat, eorum merces & res non recipere vehendi gratiâ tenetur, neque etiam personas ipsas, si interdum in curru ob mercium vehendarum defectum sedendi sit locus. *Mev. d. l. & quidem ad exemplum hospitum activorum sive cauponum, qui tales nefandos homines adventantes recipere non coguntur. Speckban. sent. 1. qu. 10. num. 10. Becht. de securitat. publ. cap. 4. num. 137. Dr. D. Müller in Diss. de Jure Peregrinantium Jena 1680. habit. 1b. 33.* Nam plus semel evenit hos sceleratos homines præprimis sacculares & fures aurigis cistas sive arcas tricis apinisque & lapidibus repletas tradidisse vehendas, illi ipsi verò vecturam sequuntur, **gehen darneben zu Fuße her** / nullâ ex aliâ causâ, quàm ut vel interdum vel noctu furandi occasionem consequantur.

§. 2. Quantâ enim necessitate, quantâque utilitate sint commercia *l. 5. §. 3. de jur. immunit.* nullum vix fugiet, ad quæ stabilienda vecturæ sunt inventæ, quibus merces per aurigas aut advehuntur aut evehuntur. Quicquid tamen sit, nequaquam omnia

omnia mercium genera [de quo aurigæ scientiam habere debent] in alias regiones exportare conceditur hominibus. Sciant  
2.) Aurigæ merces illicitas evehere sibi interdictum, ad quas referuntur FRUMENTUM resque aliæ ad victum spectantes, hæ enim è territorio exportare prohibita sunt. *cf. l. 1. §. 11. ff. de offic. Pref. Urb. tot. Tit. C. quæ res export. non poss. l. 2. §. 4. C. de commerc.* cuius gratiâ mandatum Reg. & Elect. wieder Auffauff- und Ausfühung des Getreidiges aô. 1698. de dato Dresden &c. eod. aô. Lipsiæ fuit promulgatum, in quo sequentia etiam habentur verba: So soll nicht allein das Korn oder Mehl sambt Pferden und Wagen / oder auch Schiff und Kähne / wor auff es befindlich / verfallen seyn / und confisciret werden / sondern auch noch hierüber der Verbrecher selbst mit einer Geld-Busse 10. 10.

§. 3. Et nullum est dubium, quin sub prohibita exportatione frumenti etiam contineatur FARINA, quod ex jam allegato Mandato conspicitur & affirmat *Menoch. cas. 585. arbit. n. 11.* Insuper etiam NB. hoc anno saltem, & quidem præterito Mense d. 17. Aug. novum Lipsiæ affixum fuit mandatum & ita titulatum: Ihre Königl. Maj. in Polen und Churf. Durchl. zu Sachsen Mandat wieder den Vor- und Auffauff- auch Ausfühung derer Victualien außser Landes. aô. 1699. in quo ANIMALIA, BUTYRUM, und was zu denen Victualien pfleget gerechnet zu werden / evehere tàm Mercatoribus quàm Aurigis interdictum reperitur. Interim tamen ejusmodi prohibitio non extenditur ad eos, qui exportant frumentum pro suo & familiæ suæ usu. *vid. l. cater. 41. §. 5. ff. de Leg. 1.*

§. 4. Porro ad merces vetitas referuntur ARMA, PULVIS NITRATUS, GLOBI EJACULATORII resque similes, quæ omnia hisce accensentur. *Marquard. de Jur. Mercatur. Part. post lit. B. arg. l. 6. §. 4. ff. de offic. Præsid. seqq.* Itidem ad illicitæ transportationis objectum CORPORA PESTE DEFUNCTORUM

RUM meritò referenda quoque veniunt, cum transportatio tu-  
tò nec salvà conscientiâ haud concedi poterit. *Felmann. de Ca-*  
*dav. inspic. c. 16. num. 5. Magnif. Dn. D. August. Benedict. Carpzov. in*  
*Disp. de transportatione defunctorum per territorium alienum 1690. Lips.*  
*habit. Cap. IV. §. XI. quæ cura Magistratui seculari [si habet Jus*  
*patronatus] mandata est. Carpz. P. 2. Jurispr. Consist. Def. 386. & 378.*  
*n. 6. Ut taceam CORPORA PROPRICIDARUM, aliorumque*  
*FACINOROSORUM, qui in sepulchrum familiare prohiben-*  
*tur inferri, probatur ex hâc Regulâ: Ubi quis vivus non pot-*  
*est manere, ibi nec mortuus sepeliri. Bartol. in l. 2. ff. de Cadav. pu-*  
*nit, Covarr. L. 2. Resp. 10. num. 11. Vasq. controuv. illustr. P. 3. c. 36. n. 8. 10. &*  
*l. 4. ff. de pæn.*

§. 5. Nec approbandum factum, quando sub prætextu &  
professione mercium, quibus involvunt & compingunt cadaver,  
per illa loca deducunt. *Carpz. d. Disp. num. 19.* & quamvis funera  
transvehi possunt, tamen licentiâ Magistratus & nudâ ejus de-  
nunciatione fieri debet. *Besold. thes. Pract. verb. Durchführung*  
*der Verstorbenen.* Nec debetur vectigal *l. f. C. de religios.* ni-  
si, ut pro transitu modicum scil. *der Todten Zoll* solvatur, per  
consuetudinem sit receptum. Communiter si merces vel alia  
genera evehere sint prohibita, publice per Mandatum intiman-  
tur, uti supra mentionem feci de quibusdam rebus, quo negle-  
cto merces illicitæ, quamvis adhuc in viâ reperiantur, in pœ-  
nam commissi incidunt. *l. 3. C. de naut. fœn. l. 2. C. quæ res ex-*  
*port. non lic. cf. die angezogenen Mandata.* Præprimis si pro li-  
citis, cum tamen illicitæ & vetitæ sunt, sint indicatæ. *Santern.*  
*p. 3. num. 13. cum seqq. & 43. cum seqq. Marquard. L. 2. cap. 13. num. 25.*  
tunc sine dubio illicitas recipiendo merces ob dolum aut culpam  
aurigæ locati conducti actione possunt pulsari, ita ut damnum  
dominis datum resarcire teneantur *arg. l. 2. pr. ff. ad L. Rhod. de jact.*  
*Boër. de Decif. 178. num. 28.* Hinc cautela est pro aurigis merces il-  
licitas vehere volentibus, ut epistolam assertoriam sive certifica-  
tionem, *ein Paß-Zettel* quo omnium mercium vehiculo im-  
positarum

positarum continet designatio, sibi procurent. *cf. das neue Mandat de anno 1699.*

§. 6. Facta igitur Conductorum sollicita inquisitione *arg. l. 2. ff. naut. caup. stab. si, conductorem esse virum honestum, constat, ad exemplum cauponum juxta leg. unic. §. 6. ff. furt. adv. naut. ad vehendum merces auriga cogi potest. Decius ad L. 156. ff. de R. J. de quo infra plura dicam, præsuppositò hòc, quòd auriga nullum aliud negotium & vitæ genus, quàm vecturam, exerceat arg. l. 24. §. f. l. 26. ff. de damn. infect. l. 6. §. 6. ff. que in fraud. credit. de quo vid. Excellentissimi Dn. D. Friderici Philippi, Cti & Assessoris Facultatis Juridicæ Lipsiensis Assessoris gravissimi mei quondam Præceptoris fidelissimi & astumatissimi Disput. de Rhedis meritoris. cap 3. §. 16. Lips. 1685. habit. ad hoc enim Mercatori jus competit, neque hoc injuriam illi infert. c. 31. X. de Elect. l. 3. §. 2. ff. de hom. lib. exhib. caveat autem sibi Auriga, ne majorem mercium quantitatem quàm vehere potest, suscipiat, de hoc *cf. Leipziger Ruzscher Innung. Artic. 10.**

§. 7. Antequam verò operas suas auriga locet, necesse habet, ut loci distantiam, **wo die Güther und Wahren sollen hingeführet werden** / examinet, certòque milliaria, quàm latè Urbs de Urbe distet, sciat, tunc quanta merces sit determinanda, & postulanda, dijudicandum; Pecunia autem numerata præcisè hic requiritur. §. 2. J. de locat. cond. l. 5. §. 2. ff. de P. V. debet quoque esse justa l. 2. C. de rescind. vendit. nec Auriga iniquam postulet mercedem. **Soll die Leute nicht mit dem Lohne übersehen. quo inclinat die Leipziger Ruzscher Innung. punct. 9.**

§. 8. Quid si Aurigæ vel famulo ejus quidam merces suas aut dolio aliove modo inclusas aut compactas Hamburgum vehi conducit, nullam specificam mercedis solutionem determinans, eò quòd conventum: **Daß die Güther und Wahren allererst zu Hamburgt gewogen / und so viel die Fracht hält / dem Fuhr.**

**Zuhrmanne daselbst bezahlet werden sollen.** Unde quaestio oritur, an locati conducti actioni, quæ aliàs, si merces certâ mercede ad certum locum transvehendæ traditæ sunt, institui potest, *l. 60. §. 8. l. 25. §. 7. ff. de locat. locus sit?* Dubium hauriendum, *ex §. f. J. de Mandat. §. 1. J. de locat. cond.* Verùm enim verò pacta & conventiones anse omnia sunt attendendæ. *Bachov. ad ff. cap. de pact. l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit.* scil. si, ut merces *U-ratislaviae vel Lipsiæ* prius pensentur, & trutinâ examinentur, conventum, & tunc tantum, quantum exinde debetur, & quanta merces solita sit, solvatur, tali modo specialis haud requiritur mercedis determinatio. *Frantz. ad Tit. ff. locat. n. 72. & 73. eò quod ex more regionis jam tum merces certa est. l. 18. C. de locat. cond. Hopp. ad exam. Instit. de locat. cond. num. 14.* & hic actio locati conducti nihilominus locum sibi vindicat: *Gomez. 2. var. resol. 3. num. 3.* aliàs Contractus esset innominatus, & præscriptis verbis agendum, *§ 1 J. de locat. cond. & l. 22. ff. de P. V.*

**§. 9.** Quid si Auriga se adhuc ante Festum Michaëlis & quidem certâ die merces traditas Lipsiam esse transvecturum, promiserit, & in hujus majorem obligationem certa merces sibi sit constituta? *Aldovin. Conf. 19. num. 20.* tunc cum deinceps præscripto tempore & dictâ die non veniat, ob moram suam, si reus sit, *Petr. de Ubald. de duob. fratr. p. 8. qu. 27. num. 28.* & verum pactum non verò præparatorium inter ipsos sit actum, *Surdus Conf. 12. num. 1.* ad omne inde resultans interesse tenetur. *Aldovin. d. l. n. 1. seqq.* Ast si ob casum fortuitum v. gr. ob inundationem aquarum, altam nivem, aut adventum hostilem statò tempore nequaquam adesse potuit. *vid. l. 14. §. 1. ff. deposit. Bachov. ad Treutler. 2. D. 3. th. 3. lit. A. Dn. Lauterb. ad Tit. ff. locati. §. 4. num. 10.* aut via ita comparata fuerit, ut sine periculo absolvi non potuisset. *Aldovin. d. l. num. 47. Sebast. Medic. de casib. fortuit. P. 1. qu. 4. num. 20.* aut aliud obstaculam extitisset, *Marquard. de Jur. Mercat l. 2. c. 10. n. 29.* hoc casu probatò istò impedimentò, haud dubiè absolven-

*contl.*

aus auriga erit. *Card. Tusch. in concl. Pract. lit. II. voc. vecturalis. concl. 35.* Et quemadmodum in simili operarum conductor, ita & vecturæ locator ad expensarum ob hujus moram ab Aurigâ factarum restitutionem tenetur, si per eum potius, quo minus præfixo & convento tempore ad iter auriga se accingere potuerit, stet, scilicet si ob rerum & mercium carentiam suum vehiculum onerare nequiverit. *Marquard. de Jur. Mercat. l. 2. cap. 10. n. 22.*

§. 10. Evenit quoque, quod vel in viâ, vel alio in loco currus frangatur, sive quod nimis oneratus sit, vel aliâ ex causâ, puta quod plaustrum simul cum equis aquis immersum sit, vel à prædonibus violentis ablatum manibus, quò casu operarum conductor tum ad nullum nec casuale nec aurigæ culpâ accidens damnum refundendum teneri potest. *l. 23. ff. de R. J. l. 6. C. de pign. arg. l. 2. §. 1. d. t. Ubique Peckius & Vinn. lit. E. p. 209. de L. Rhod. de jact.* Et quidem ad exemplum opificum, quippe hi pro instrumentis fractis nullam petere damni refusionem possunt. *Dn. Lauterb. ad Tit. ff. de L. Rhod. tb. 11. Richt. Dec. 81. num. 21.* Nisi is, qui ad merces suas transvehendas operas conduxit, fortuitos in se receperit casus, tunc Auriga ad damni refusionem non tenebitur. *l. 9. §. 2. ff. locat. Carpz. P. 2. concl. 37. D. 17. num. 3.* limita si culpa fortuitum casum præcesserit, aurigæque hic imputari possit. *Carpzov. P. 2. C. 26. D. 19. Lauterb. ad Tit. locat. cond. e. gr.* Quidam Aurigæ pecuniam cistæ inclusam ad certum locum vehendam locavit, auriga amissam & furto esse ablatam pecuniam allegabat, cujus gratiâ cum notorium furtum esset, Scabini Lipsienses in *Caus. M. E. contra D. G.* responderunt. *Dasß Klägerin den mit dem Fuhrmann geschlossenen Contract, und daß der ihm auffgedingete Kasten durch seine Verwahrlosung erbrochen / und die darinnen verwahrte Sachen daraus dieblichen entwendet worden / wie recht zuerweisen schuldig* *ic. ic. it. in Caus. J. R. vid. Carpz. alleg. loc. ubi etiam aliud egregium præjudic.* Cum verò in culparum & fortuatorum casu-

um præstationibus multa observanda sint, infra prolixius de his-  
ce differturus sum.

§. II. Et positò, quod quidam merces suas per loca non,  
adeò tuta transvehendas vecturæ conductor aurigæ committat,  
præsupponendo sequentia verba esse adjecta. *Ihr möget fahren  
wo. ihr hin wollet/oder welche Strasse euch beliebet / es ist un-  
berall sicher / vor das/was euch die abgedankten Soldaten  
thun werden/auch vor alles sich ereignende Unglück will ich  
stehen/und über mich lassen gehen.* Quæst. An hoc modo ad  
omnem ex quibuscunque casibus fortuitis resultantem damni  
restitutionem conductor se obligaverit? R. quod sic. Nam qui  
dicit omne, nihil excludit, eò quòd nominatim convenit.  
*Pantschmann. pr. Qu. l. 1. Qu. 6 num. 42* & periculum casuale,  
quod aliàs in dubio non præsumitur, sed expressa ad hoc requiri-  
tur conventio, in se recepit. Hinc si casum fortuitum metuat,  
aut prævideat auriga, bene facit, si expressam indemnitàtis suæ  
promissionem urgeat, aliàs sibi, si omittat, imputet. *l. 27. pr. ff.  
locat. l. 13. §. 6. ff. de damn. infect. Lauterb. in Tit. ff. locat. §. 1. ib. 24.  
cf. Petr. Surdus. conf. 61. num. 9. & 73. inf.* Attamen hic distinguen-  
dum est, an quis periculum in genere, an casum fortuitum in-  
se receperit, si illud, ad levisissimam quidem culpam, minimè ve-  
rò ad casum se obstringere videtur. *Lauterb. d. t. ff. locat §. 4. num. 11.  
Pantschmann. d. l. n. 46.*

§. 12. Per protestationem interpositam se nolle res vehen-  
das & currui impositas servare, nec culpa præstare, à periculo  
liberatur Auriga, & à culpâ immunis est. *arg. l. ult. pr. ff. naut. caup.  
& stab. Carpz. P. 2. C. 26. D. 10. inf.* accedente scilicet conductoris  
consensu, ac sufficit etiam, si tacitè fiat. *Loccen. de jur. marit. L. 3.  
c. 7 num. 12.* modò protestatio facta sit post receptionem. Alio-  
quin si protestationi conductor non vult consentire, non obstan-  
te contradictione & protestatione propter obligationem ex con-  
tractu descendente auriga tenetur. *arg. l. 1. §. f. ff. d. t.*

§. 13.



§. 13. De Primario Contractu scil. locatione conductione, quem auriga ante iter iniri solet, & de alijs huc facientibus hactenus brevitatis ratione habitâ dictum est: Transeundum igitur ad alios contractus saltem necessariò ab Aurigâ celebrari solitos. Communiter contingit, quòd Aurigæ dum omni pecuniâ sint destituti, hanc ab aliò mutuò accipere, & in Creditoris securitatem suum currum & equos loco pignoris constituere teneantur. §. f. 7. *quib. mod. re contr. obl.* Quæst. An ob moram solutionis ubivis locorum currus mercibus onustus & equi arrestari possint? R. Quod non, ob interessè personarum, præprimis quod arresto res alienæ & jure Domini ad Aurigas non spectantes non sint obnoxij. *Mart. ad Constit. Elect. Sax. P. 1. Const. 29. not. 5.* licet auriga ad hoc se obligaverit. *D. Stryck. ad Cautel. contr. sect. 2. cap. 1. §. 38.*

§. 14. Hòc locò prætereundum non est, quod sæpius evenit, merces ab Aurigis (scil. si Vratislaviam vel ad alium certum locum transportandas) non ad destinatum locum transvehi, sed in hospitio mercenario relinqui. §. 3. *J. quib. mod. re. l. 5. pr. ff. de depositi.* quod & meo Patri nuper contigit, utpote auriga, quia vehiculum nimis onerare noluit, quasdam merces Vratislaviæ reliquit. Quo casu contra Aurigam & morte ejus interveniente, contra ejus hæredes, vel his deficientibus, contra hospitem, ubi merces depositæ tam ad damnum, si illatum, quàm ad interesse utili actione acturus est. *Brunnem. in Comment. ad Pandect. Lib. X. Tit. 4. ad L. 4. n. 1.*

§. 15. Non immeritò hòc locò pignoris contractus pensitandus, hinc Quæst. An vel ante iter, vel in itinere merces & res transvehendas oppignorare aurigæ permissum? R. neg. quia in bonis illorum non sunt. *l. 4. ff. que respign. vel hypoth. dat. obl. non poss. Dn. Lauterb. ad ff. d. t. l. 6. C. eod. l. 6. C. si alien. res pign. dat. Dec. Elect. Sax. 40.* nec potestatem alienandi habent: Et si eveniat aurigas pecuniæ acquirendæ gratiâ pignori dedisse merces, ob lucrum cessans & damnum emergens ad interessè teneri textus est. *in l. 15. §. 8. l. 33; in f. ff. locati. cond. Dn. Lauterbach. ad ff. d. s. lit. O.*

nec excusandi sunt, licet hoc summâ ex necessitate factum dicant. Non infrequens etiam est, quòd indigentia pecuniæ pressi aurigæ literas vectorias **die Fracht-Brieffe** pignori dari soleant.

§. 16. Et quid dicam quoad nostrum thema de Societate? Sunt quidem varia Societatis genera tam à *Dn. Habn. ad Wesenb. in ff. d. t.* quam ab alijs Dd. enumerata. Possem etiam multa, quæ in hoc contractu occurrunt, referre, sed brevitatis ergò præterimus. Quod verò etiam Societatis contractum celebrent aurigæ, ex sequentibus cognoscendum erit: Mevius & Pamphilius aurigæ, ut communem vecturam sive vecturalem societatem exercent, quilibet trigam vel quadrigam confert, invicem conveniunt, ut junctâ trigâ vel quadrigâ onus illud sive commune, sive conductum communi lucro vehatur. *arg. l. i. §. f. ff. de exercit. act. Dn. D. Georg Michæl Heber in Disp. de Quadrigâ. Witeberg. a. 1683. hab. Spat. VI. §. 1. &* videtur, quod alter alterum exinde nominet **seinen Gespahn**. Rerum autem inhonestarum nullam fieri societatem. *l. 57. ff. pro soc.*

§. 17. Ordine sequitur mandatum, originem ex officio atque amicitia trahit, & gratis expeditur. *l. i. §. f. ff. Mandat.* alioquin si quid pro negotij demandati expeditione datum sit, in aliud genus sive locationis sive contractus innominati incideret. *§. f. J. de mandat. l. 6. §. ult. l. 36. §. f. ff. eod. l. 22. ff. de prescript. verb. honorarium tamen intervenire potest. l. 6. pr. ff. mand. Frantz. b. t. num. 26.*

§. 18. Datur hic quoque occasio dicendi de Asssecuratione; Est autem mercatura hæc vel maritima vel terrestris, quoad posteriorem rarior ejus usus est, & nunquam percepit, aurigam cum suo conductore contractum asssecurationis inivisse, sin autem initus esset, actione asssecuratoriâ asssecuratus contra asssecurantem aurigam experietur, hic verò contra illum ad præmium sibi solvendum. Vid. *Santern. in Tract. de Asssecurat. p. 1. n. 7. Ruland. de Com. §. P. 3. l. 3. c. 15. n. f. Dn. Rhet. in tr. de Versur. a. c. 4. lb. 3.*

§. 19.

§. 19. Dilabor nunc in materiam quasi contractuum, quam paucis verbis examinare animus est; è quibus saltem eligo negotiorum gestione in eandem per casus declaraturus. Duo Aurigæ Sejus & Cajus unà suis cum famulis petere Lipsiam & advehere merces sibi proposuerunt. Contingit unum horum nempe Sejum in itinere mori, Cajus tanquam negotiorum gestor mortui negotia suscipit. *l. 46. ff. de obl. & act.* contra quem reversum Seji hæredes directam negotiorum actionem instituunt, ad id, ut rationes reddat, quod ex gestione ad ipsum pervenit, restituat, & damna præstet. §. 1. *J. de obl. que ex quos. contr. l. 6. §. f. & l. 8. §. 1. ff. de N. G.*

§. 20. Alter casus sit, si quis Bohemiam vexisset, & deficientibus rebus vehendis, pro Lucio grana filiginea æquo emat pretio, ejus negotium gerens; antequàm verò cum granis emtis domum revertatur, frumenti æstimatio minuitur. Quæst. An Lucius frumentum ab Aurigâ negotiorum gestore emtum accipere, & tantum quantum solvit, cum expensis restituere obstructus sit? Quod affirmandum videtur, quoniam sufficit bonam habuisse intentionem, & tacitum Lucij omninò probabilem consensum; Depretiatio enim frumenti imputari aurigæ nequit, sed fortunæ, cujus eventum nemo præstat. *l. 23. ff. de R. J.* Quod supra de expensis dictum, intelligendum est tantum de necessarijs & utilibus. *l. 45. pr. ff. de N. G.* quæ refundendæ sunt gestori, licet negotium aliquò casu eventum non habuerit. *l. 11. d. t. Dn. Hoppe ad §. 1. in Exam. Inst. ad Tit. de oblig. que ex qs. contr. nulla verò merces solvi debet. arg. l. 1. §. ult. ff. mandat. §. f. J. eod. junct §. 1. J. de obl. que ex qs. contr.*

§. 21. Inter alia ab Aurigâ ante iter observanda referendum quoque hoc, ut res & merces currui imponendæ non prius evahantur, quàm trutinâ examinatæ fuerint. Consulatur **E. Edl. Raths der Stadt Leipzig Waage Ordnung von 31. Decembr. 1597. §. Wir verordnen und wollen/ daß alle Wahren in die Waage**

**Waage geschafft** 20. 20. Quinimò dictò locò receptum est, ut  
quantitas sive gravitas ponderis à Trutinatore schedulæ accisariæ  
sive vectoriæ inscribatur & assignetur. **Es muß auff den**  
**Waage-Zettel geschrieben werden / wie viel das Gut ge-**  
**wogen.** Et antequam evehat omnium rerum vehendarum,  
ergò aut schedulas accisarias, solutionis Passir-Zettel / aut sche-  
dulas immunitatis **Frey-Zettel** sibi procuret.

§. 22. Dùm de hoc capite discedere volo, una adhuc subji-  
cienda quæstio est; An etiam cuilibet libertate naturali vectu-  
ram exercere sit licitum? Quod non negandum puto. *arg. l. 27.*  
*C. de testam.* nisi hoc in specie per Privilegium competat uni vel  
alteri, vel per præscriptionem immemoriam. *Mev. ad Jus Lub. L.*  
*2. quest. prelim. 2. num. 44. seqq.* Hinc Lipsiæ per articulos So-  
cietati Rhedariorum à Magistratu istius loci datos hæc libertas est  
restricta, quod patet ex hisce verbis. **Es solle keinen das**  
**Kutschfahren NB. umbs Lohn verstattet seyn / Er sey**  
**denn Bürger / und habe solches vom Rathe erlanget. cf.**  
*Punct. 1.* adeò ut nec illis proprios equos & currum possidenti-  
bus concedatur vecturam **QVÆSTUARIAM** exercere. It. Weil  
sich unterschiedene biß anhero gefunden / so Kutsche und  
Pferde sich zugeleget / dieselbe aber nicht allein / wie billig /  
vor sich gebrauchet / sondern unsern Kutschern zum Scha-  
den alle und jede / so es von ihnen begehret / umbs Lohn  
fahren lassen; Als soll hinführo solches nicht zugelassen /  
sondern da einer ergriffen wird / der umbs Lohn fahren läst /  
soll derselbe von Uns gebührend bestraffet werden. dict.

**Leipzigker Kutscher Innung. Punct. 20. & si quis ad con-**  
**suetudinem provocare velit illi probandum erit l.**

*23. C. de probat. Dn. Hopp. in Exam. Inst. Lib. 1.*

*Tit. 2. num. 42.*

**CAPUT III.**

### CAPUT III.

De

#### *Jure Aurigarum in Itinere.*

§. 1.

**P**erlustravi hæcenus ea, quæ ante iter suscipiendum ab Aurigâ sunt observanda; Nunc instituti mei ratio postulat, ut inquiram, quæ in itinere obveniunt, & quæ Aurigæ curæ subjacent, hic promissa præstet, & intuitu contractûs initi observanda observet, §. un. 1. de obl. ex consens. L. 2. pr. & §. §. seqq. ff. de O. & A. Verùm enim verò, cùm plerumque id omittant, nec datam fidem expleant, & consequenter delinquant, non incongruè etiam de delictis eorum investigatio est instituenda, quibus perlustratis cætera observanda annectere placet. Videntur autem hæc delicta in universum respicere 1.) CONDUCTORES sive VIATORES EORUMQUE RES, quas variâ ratione lædere possunt; (1.) CUNCTANDO, scilicet si tardius quàm conventum est ad locum destinatum auriga merces deferat, vel transportet, tunc juxta doctrinam *Francisc Pfeil. Consil. 52. num. 5. ad usuras tenetur. l. 17. C. de locat.* Minimè verò, dùm absque culpâ vecturam jam cæptam absolvere impeditus sit, vel ob summum instans hostium periculum, vel ob exortam pestem sibi præfixum appropinquare locum interdictum, mercesque in viâ deponere vel relinquere necesse habet, vel ob moram, quæ excusatur, si tertius eam causatus est, e. gr. si ex odiò vel aliò affectu aurigæ res ad vecturam necessarias occultavit, quibus deficientibus vehere impossibile, vel culpa conductoris præcedat, aurigæ non erit præjudicio. *Surdus Consil. 12. num. 73. nihilominus quamvis non totum inter ipsum & conductorem conventam mercedem, benè tamen promeritam in tantum quantum operarum præstitum, à conductore auriga exigere potest. Vid. Hilliger in Donell. enucl. l. 13. c. 9. lie. B. Wissenbach. Brunnem. ad l. 15. num. 38. ff. locat. Frantz, ad Tit. locati. num. 129. arg. l. 33. & 34. ff. locat.*

C

§. 2.

§. 2. Nihil frequentius est, quam quòd damnum rebus vehendis Auriga inferat, quò alterius patrimonium diminuitur. *l. 3. ff. de damn. infect. §. 13. 14. & 19. J. de Leg. Aquil.* cuius causà auriga quidem locati actione conveniri potest, non prius autem condemnatur, quam si conductor aurigam debitam diligentiam non adhibuisse, probet; *Actolin. Res. 65. num. 2. Decian lib. 1. R. 29. num. 28.* & quidem ita, ut ex aurigæ precedente vel concomitante negligentia sive culpa damnum profectum sit, quo non demonstrato, actor nihil consequetur. *Vult. in Cons. Marpurg. 4. Conf. 36 num. 16.* Ad illustrandum damnum addo hunc casum, ante aliquot annos Aurigæ M. E. quantitas serici compacti [ein Ballen Seide] conducta & concredita fuit, ut Nòrimbergam transveheret, in itinere autem Sericum compactum anteriore parte per currum fuit laceratum & corruptum, quapropter illum Mercator G. S. coram Prætorio Lips. convenit, & ad refundendum damnum 33 thaler. æstimatum expensarumque restitutionem petijt. *pr. J. de locat. cond. l. 8. & 9. pr. ff. b. t.* sententia definitiva nondum est secuta, quâ de re plura de hoc damno dicere supersedeo.

§. 3. Notum aliàs est damna tripliciter contingere, DOLO, CULPA aut CASU. *l. 23. ff. de R. J.* de his tribus seorsim & separatim nunc dicendum.

§. 4. Ante omnia est sciendum dolum in omni contractu præstari. *vid. l. 5. §. 2. ff. commodat.* adeò ut non valeat conventio, ne dolus scilicet futurus præstetur. *d. l. 23. ff. de R. J. & l. 27 § 4 ff. de pact.* Detectò enim dolò in arbitrio Conductoris est positum, utrum malit à contractu discedere, an verò contractum servare, & actione ex isto solum ob illatum damnum interesse petere. *Cels. in Bargal. in tr. de dol. L. 2. divis. 5. num. 51. Carpz. P. 2. C. 34 num. 4. Struv. in Synagm. Jur. Civ. Exerc. 8. ab. 28.* Moris est & sæpè fit mercatores cum aurigis contractu celebrato pactum inire, ut mercedem in isto loco, quo res debeat transvehi, accipiat,

cipiat, aurigæ afferunt, daß daselbst von Centner 2. Thlr. be-  
zahlt würden / quod tamen ita se non habet, verbis tamen fi-  
dem habet mercator, dat huic etiam literas vectorias, (quomo-  
do autem istæ formentur, infra in Cap. IV. exponam) hæc ver-  
ba: **Er soll Zeigern nach geschehener richtiger Liefferung an  
Gewichte so viel Thlr. zahlen 2c. in se continentes.** Tertius si  
pretium constitutum esse aurigæ falsâ persuasione, quæ violen-  
tiæ & coactioni æquiparatur. *l. 1. §. 8. 3. ff. de Serv. corrupt. Carpz.  
P. 3. C. 23. D. 30. num. 15.* sentiat, & sibi à conducente se talem  
contestatione aurigæ promississe mercedem *l. 71. §. 8. ff. de A. & O.  
l. 12. ff. de incend. scriptum esse dicat, cum effectu contra aurigam  
ob dolum actio institui poterit. l. 13. ff. de dol. mal. l. 25. 36. ff. de V.  
S.* Vel si aurigæ merces v. gr. lanam, quæ sine emergente da-  
mno humidæ reddi possunt, vehant, plus semel observatum,  
hos humectasse merces, & sic rebus aquâ immisâ gravioribus  
factis, superatur merces, quò dolum verum committunt. *l. 7. §.  
3. l. 9. ff. de dol. mal.* & potius hoc factum stellionatûs crimen incidit;  
Non nunquam & res vehendas spoliant & surripiunt, quod ad  
furtum pertinet, de quò infra, ut taceam dolum, quem Aurigæ  
in Conductorem profitendo distantiam loci committunt, dum  
distare 20. milliaria cum saltem sint 10. eloqui non erubescunt,  
nullum alium in finem quàm ut sub falsæ assertionis prætextu  
majorem mercedem consequantur, quò casu & actio comparata  
est conductori. *l. 7. pr. l. 16. §. 1. ff. de Minor. l. 5. C. de resc. vend. Riemer de  
contract. Lib. 1. Cap. 6. §. 30 n. 25. Carpz. P. 2. C. 34. D. 4. n. 4.*

§. 5. Uti ob dolum, ita etiam ob culpam commissam tene-  
tur auriga. *l. 5. §. 2. ff. commodat. l. 23. ff. de R. J. Gomez. 2. c. 3. n.  
22. Carpz. P. 2. C. 37. D. 24.* Quàm varijs autem modis culpa  
committi possit, penes me vix positum recensere, ut tamen  
quodam modo quid juris circa hanc constitutum sit, demonstre-  
tur, tàm de latâ levi, quàm levissimâ paucula recensiturus sum:  
Aliàs distingvitur in culpam malitiæ sive versutiæ & impruden-  
tiæ

riæ sive ignaviæ, per illum dolum verum intellige. *arg. l. 43. §. ult. ff. de contr. emt.* per hanc culpam propriè hoc dictum *arg. l. 213. §. f. & l. 223. ff. de V. S.* Consistit enim tam in faciendo sive committendo. *l. 121 ff. de R. J. l. 91. pr. ff. de V. S. §. 6.*

§. 6. Culpam latam committit auriga, si derelictâ ordinariâ viâ utatur insolitâ, si hac in prædones incidat, vel loca infidiosa & ardua aspera que sequatur, cum tamen rectâ & planâ incidere queat, & inde curru præcipite facto, fractisque receptaculis diffluant merces liquida, aliæ ve frangantur, poterit auriga actione locati conducti pulsari, ubi egregiè hoc docet *Petrus Surdus Consil. 12. yri. sc. controuv. forens. 166. num. 30.* Limitatur tempore extremitatis, scilicet si per diurnos imbres via adeò lutosa minusque tuta sit, publicam relinquendo, obliquam incidat, nec ulla culpa ipsi imputanda. *Vid. Surd. Consil. 12. num. 28. Salicet. ad l. 3. C. de fœn. naut. Bickius Decis. 46. n. 8.*

§. 7. A solitâ viâ deflectere & in insolitâ uti, wann die Fuhrleute einen Abweg fahren/ obligat hoc factum ad omnis damni dati refusionem, uti modo dictum, aurigæ enim Jure Saxon. ad observandas vias publicas admonentur verbis: *Als befehlen wir ic. ic. so die ausgesetzte und oben specificirte ordentliche Land Strasse wieder Verboth muthwillig umbfahren/ und andere Abwege sich gebrauchen / durch ihre bestellte Strassenbereuter gute Acht und Aufsicht geben lassen / und alsdenn wo sie betreten/ mit Rossen/ Waagen und Gütern arrestiren ic. ic. it. auch umb besserer Nachricht willen die Handels- und Fuhrleute mit Pallet-Zetteln / ohne welchen sie nicht passiret werden/ an denen Bränken versehen / die sie hernacher von Orten / da auff vorgeschriebener Land-Strasse Zölle seyn/ aufweisen / und solcher gestalt allen Verdacht des Unterschleiffs von sich abwenden sollen.* *Mandat. Elect. de Anno 1601. 1653. §. 54. §.* Wann wir nun / ic. Quinimo via ita præscripta est mediante denominatione urbium, quas



quas petant, in Mandat. Elect. sub dato d. 19. Junij 1654. §. Als  
thun wir allen und jeden Fuhrleuten ꝛ.ꝛ. endlich und ernst-  
lich befehlen und auferlegen / daß sie ꝛ.ꝛ. die ausgesetzte / or-  
dentliche hohe Land-Strasse aus Polen und Schlesien / wie  
vor Alters her kommen / mit fahren und treiben halten /  
auch bey Verlust der Wahren und Viehes nicht umb fah-  
ren / sondern ihren Weg auff Neumarck / Liegnitz / Hayn ꝛ.  
auch in Rückwege es anders nicht halten bey Vermeidung  
unser unablässlichen Straffe. Quod & Mercatores aurigis  
injungere debent, ut via regia incedant. vid. ex §. Damit auch  
die Händler ꝛ. usque sich enthalten / reperitur etiam in alio  
Mandato El. sub dato die 19. Junij 1654. Qui enim rectam viam  
sine causâ probabili non sequuntur, se suscipioni subjiciunt, &  
securitate publicâ se indignos reddunt. Rosenthal de Feudis c. 5.  
concl. 22. lit. B. Imò rectâ viâ non insistentes animum vectigalia  
defraudandi habuisse præsumuntur. Mascard. de probat. Concl.  
474. num. 3. Et quamvis læsi in viâ vel à prædonibus vel aliò vio-  
lentò modò ad damni restitutionem agere possint. ex l. 9. l. 23. pr.  
ff. de reivind. vel condictione ex Lege adversus Dominum terri-  
torij, vel publicanum, den Landt und Beleit's Herrn per Re-  
cess. Imp. de anno 1559. §. Damit denn die Obrigkeit ꝛ.ꝛ. omnes-  
que territorium Domini transeuntibus per suum territorium  
securitatem præstare debeant, Struv. S. F. c. 6. §. 23. & damnum  
à prædonibus datum resarcire convenire queant. l. 2. C. de admi-  
nistr. rer. publ. l. 3. ff. de offic. Præsidi in thesaur. Pract. v. Land-  
Strasse Rosenthal de feudis. c. 5. concl. 22. tamen publicâ viâ ne-  
glectâ & scelitâ electâ, Dominus territorialis ad resarciendum  
damnum non tenetur. l. 2. l. 5. C. de publ. curs. l. 1. §. 2. ff. de his qui  
effud. Gail. L. 2. Obs. 64. num. 11. nisi & hæc deprædationibus sit in-  
festa, ut ipsa per loca obliqua transeundum sit. Berlich. Grevaus  
de concl. 64. num. 13. quò casu territorialis Domini obligatio quo-  
que cessat, si auriga legitimum vectigal defraudaverit. Grev. d.

*concl. 64. num. 6. vel nocturno & insolito tempore iter fecerit auriga. l. 1. §. 18. ff. de SC. Silian. & Claud. arg. l. 2. §. 4. C. de offic. Prefecti. Prat.*

§. 8. Hinc committit etiam culpam latam auriga vectigalia non solvens, sive pontium sive aquarum, & qui hæc non persolvit, 30. Solidorum pœnam luet. *Landt-R. L. 2. art. 27. ibi: Wer Brücken oder Wasser-Zoll entführet / der soll dreyßig Schilling zur Busse geben. Matth. Coler. Part. 1. Dec. 1690.* Hodiè restringendum ad eos, qui ex negligentia vel ignorantia vectigal defraudant, de qua defraudatione vectigalium vid. *Carpz. P. 4. C. 41. D. 15. inf. ubi Præjudic.* Quippe pro mercibus & equis non solum securitatis sed etiam viæ publicæ & pontium reficiendorum gratia vectigal merito imponitur, & ad compensanda hæc onera vectigal exigitur. *Perez. ad Tit. Cod. de Vectigal. num. 1. Bachov. ad Treutler. Vol. 2 D. 18. tb. 8. lit. B. Magnif. Dn. D. Schwendendörff. in Diss. de Conservatione viæ publicæ. apb. XI X.*

§. 9. Solet vectigal auriga ipse communiter solvere, si verò filio suo adhuc minori currum, mercibus oneratum, ad merces profitendas & vectigalia solvenda concedat, & hic omittat, minime eâ de re in commissum cadunt, ignoscendum est ei, dummodo intra certum tempus vectigal solvat, pariter atque culpam commissam purget *l. 7. §. 1. l. final. §. 9 ff. de public. & dolus desit. l. 9. §. 5 ff. de Minor.*

§. 10. Cessat pœna commissi in defraudantes, si ex errore probabili prætermissa sit professio, & Publicanus duplicato vectigali contentus esse debet. *l. fin. §. 11. ff. de public.* quia professio non dolò omissa, nec scienter celata sit. *l. 8 l. 16. §. 10 ff. de publ. Re-cess. Imper. anno 1530. §. Wiewohl auch verb. fürseßlich und muthwilligverfahren.* vid etiam pœnam in veros defraudantes. *d. Re-cess. Imp. de anno 1559. §. Damit denn 20. 20.*

§. 11. Hactenus dictæ culpæ annumerandum etiam est, si in viâ præcipite rotæ sufflamine non inhibentur ab Aurigâ; **so keine Hemfetten angeleget werden** / quales viæ cum ubivis locorum occurrunt, tali instrumento auriga omninò instructus sit, vel si anterior equus sit cæcus, & tamen absque ullò custode  
prosequ

prosequi iter siverit, & sic vehiculum prostratum sit, ad omne  
damnum culpa datum obstringitur. *l. 5. §. 2. ff. commodat. l. 23. ff. de R. J.*  
*ff. Bachov. Vol. 2. D. 29. tb. 6. lit. Q.*

§. 12. De lata ad levem culpam pergo, quam per casum sic  
declaro; Auriga quidam accipit merces Dresdam transvehendas,  
minimè verò ad dictum locū ipse transvehit, sed alij committit,  
*Scaccia de Commerc. §. 2. gl. 5. num. 371.* Dum igitur substitutus cul-  
pam vel latam, vel levem committit, vel rem sibi concreditam  
nō transfert, prior locator ex conducto tenetur. *l. 41 ff. locat. cond.*

§. 13. In idoneo tempore aggrediens iter auriga culpæ etiam  
reus est. *arg. l. 13. §. 2 ff. locat.* nec non, qui merces sibi concredi-  
tas non benè custodit, ita ut continuâ ex pluvia sive aquâ da-  
mnum sentiant. *Berlich. P. 5. C. 58. num. 22.* in itinere gulæ adeo  
indulgens, ut ebrius factus artis vectoriæ suæ negligens existat,  
procul dubio de levi culpâ tenebitur. *Marquard. de Jur. Mercat.*  
*l. 2. c. 10. num. 25. arg. l. 27. §. 23 L. Aquil. l. 30. §. 2 ff. locat.*

§. 14. Ut ut autem quoad naturam contractus locati con-  
ducti auriga saltem ad breviter modo explanatam latam & levem  
culpam præstandam obstrictus sit, *dd. LL.* tamen etiam ad levis-  
simam obligatus est, si 1.) ad rem transportandam ultrò se obtulerit.  
*arg. l. 1. §. 35. ff. depositi. Dn. Hoppe in Exam. Inst. Lib. 3. Tit. 28. §. 1. n. 7.*  
propterea quod ipsemet diligentiam polliceri videtur. *arg. l. 25.*  
*ff. de procurat.* 2.) si exactissimam diligentiam promiserit. *Frantz.*  
*ad T. t. de contr. emt. num. 325. seqq. Godofred. ad L. 23. de R. J. (3. Con-*  
*tractum mandati vel negotiorum gestorum ineundo. §. 1. J. de*  
*obl. que ex qs. Contr. l. 24. C. de Usur. §. 1. 25. §. 16. ff. famil. hercisc.*

§. 15. Si fortè conductor aurigæ dolium pecuniam conti-  
nens transvehendum committat, bene facit, si Aurigæ deside-  
ranti scire dolij contenta intimet, alias si reticeat, sibi ipsi præ-  
judicio est, neque præcisè ad ejus restitutionem obstrictus est.  
*Dnn. Lauterb in Coll. Theor. pr. ad tit. ad L. Aquil. tb. 9.* vid. etiam  
egregium præjudicium in alleg. Disp. *Dn. Harpreht. p. 16.* Hic  
notandum, quòd auriga ob res æstimatò transvehendi gratiâ  
traditas,

traditas. v. gr. ein Paquetlein Kleider / wenn es verlohren  
wird/so soll der Fuhrmann 10. Rthlr. dafür geben/de levis-  
simá culpá non teneatur. cf. Burgund. tr. de culpá c. 12. num. 5. seqq. Dn.  
Lauterb. ad ff. de peric rer. §. 42 Dn. Harpr. alleg. Disp. §. 24.

§. 16. In itinere dolia. vel alia receptaculorum genera ru-  
pturam minari sæpius evenit, quò facto aurigæ vel ejus famuli  
officium est, ut prius funibus constringant. arg. l. 21. C. mandat.  
& si hoc medium insufficiens sit, per victorem id reparari cu-  
ret, omnem in eventum, si evacuare cogeretur, fiat in præsen-  
tiâ honestorum virorum, eorumque operâ merces in dolio con-  
tentas ad declinandam fraudis suspicionem in cauponem trans-  
ferat, earumque custodiam etiam atque etiam cauponi com-  
mendet, si quid istarum postea defecerit, nec merces omnes ite-  
rum sint immissæ & compactæ, culpá liber erit.

§. 17. Pariformiter non obligatur ad dictam culpam, si  
res facillimæ fragilitati obnoxias scilicet ollas & vitra transvehat,  
quia in hisce rebus culpa levisima à levi difficil imè discerni pot-  
est. Carocc. de locat. cond. p. 4. l. 2. num. 11. Actol. Resol. 65. num. 20. ur-  
gent Dd. quidem l. 25. §. 7. ff. locat. quòd auriga sit quasi artifex  
hujusmodi operarum. Vid. Cagnol. ad L. 23. num. 46. de R. J. Ve-  
rùm non aliter hoc admittitur, quàm si aurigæ 1.) rerum con-  
creditarum qualitas tempore conductionis sit exposita. 2.) res ita  
circumvolutæ wohl eingepackt und einballiret/ut eas frangi vix  
possibile sit, nisi causetur aurigæ culpa, quæ quidem non præ-  
sumitur Mev. ad Jus Lubec. p. 3. tit. 8. art. 1. num. 20. Mascard. de pro-  
bat. Concl. 469. unde probandi onus in adversarium transfertur. l.  
5. ff. de probat. cf. Hartim. Pistor. in Qu. Jur. L. 1. Qu. 18.

§. 18. Post culpam paucis de casibus fortuitis differere con-  
venit. Fortuitorum autem casuum ferè innumerus est nume-  
rus, ut secundum l. f. C. de tempor. & repar. app. nec dici nec  
numerari possint. Omnes tamen congruè ad duas classes revo-  
cantur, nempe vel SINE FACTO HOMINIS VEL FACTO HO-  
MINIS

**MINIS** interveniente accidunt : **ILLIS** annumeratur violentia  
 ventorum. *l. 24. §. 2. ff. de damn. infect. ruin. l. 1. ff. de O. & A. in-*  
*undatio. §. 3. ff. de Emt. vend. l. 23. ff. de R. J. nives immodicæ.*  
*l. 78. §. f. ff. de contr. emt. morbi l. 5. ff. §. 4. ff. ad L. falcid. mortes*  
*servorum. l. 18. pr. ff. commod. interitus animalium. l. 23. ff. de R. J.*  
 Incendia ex fulmine orta , & omnia quæ ex Cœli Inclementiâ  
 oriuntur , corruptiones rerum *l. 15. §. 2. ff. locat.* & solent distin-  
 gui in solitos & insolitos sive inusitados : **ILLI** frequentius, hi ra-  
 rissimè acidunt. Facto hominis interveniente casus fortuiti e-  
 veniunt vel proprio vel alieno , quomodo **PROPRIO**, cognosci  
 potest *ex §. 5. ff. de L. Aquil. ALIENO*, si damnum inferatur per  
 latrones, piratas, tumultum, incursus hostium. *l. f. C. de cond. insert.*  
*l. 5. de pign. act.* Quò & spectant incendia ab incendiarijs, vel al-  
 terius incuriâ excitata. *l. 30 §. f. ff. locati. Rapinæ. d. l. 23. furta.*  
*l. 30. in pr. ff. ad L. falcid.* & denique omne factum hominis, adver-  
 sus quod neque custodia neque diligentia aliquid proficit. *l. 31. pr.*  
*l. 36. ff. de act. empt.*

§. 19. Cùm igitur dicat, objiciatque auriga, damnum for-  
 tuitò contigisse, ante omnia ita factum esse probet. *Vid. Sebast.*  
*Medic. de casib. fort. P. 1. Qu. 14. num. 1. H. Pist. Qu. 18. num. 1. Köppen. P.*  
*1. Dec. 38. num. 6. Carpz. P. 2. C. 26. D. 17. Lauterb. ad Tit. ff. locat. cond. §. 3.*  
*tb. 9.* Interim tamen distingvendum , utrum casus fortuitus ita  
 sit comparatus , ut ille vel ex præcedente culpâ vel nullâ com-  
 missus sit, quem si auriga objiciat , probare debet. Econtrâ si  
 de casu fortuito e. gr. furto ab auriga allegato satis constet, non  
 aliter tenetur, quàm si Dominus mercium aurigæ culpam inter-  
 venisse probaverit. *juxta doct. Carpz. P. 2. C. 26. D. 19. Cavalcan. P. 2.*  
*Dec. 3. n. 7. Dn. Lauterb. ad Tit. Depos. §. 2. tb. 5. inf.*

§. 20. Secus obtinet, si fortuitos in se receperit casus *prob. per*  
*Brunnem. l. 9. §. 2. ad Tit. ff. locat. Aetol. Resol. 65. num. 33.* casus e-  
 nim insolitus vix intra hominum memoriam contingens excipi-  
 pitur. *Rauchbar. P. 2. Qu. 29. num. 18.* aut 2.) faciat contra pacta  
 inita, nam qui non facit id, ad quod se obligavit, censetur dolo

D

omissione

omissis, aut 3.) auriga in mora sit, & retardet iter ingredi. *Petr. de Ubald. de duob. fratr. p. 8. Qu. 27. num. 28.* Si autem casum præcedat Mercatoris culpa, non tenetur auriga. *Surdus Consil. 12. n. 73.*

§. 21. Delinquant aurigæ 3.) cum hospitibus in præjudicium Viatorum colludendo; Quippe in itinere multi in diversorio conveniunt, invicem cœnant, quam occasionem aurigæ apprehendentes cum hospite activo, ut à passivis prandij vel cœnæ caram solutionem poscat, colludunt. **Daß der Wirth denen Gästen sein hoch soll anschreiben/daß die Fuhrleute umbsoust mit durch wischen.** *arg. l. 3. §. 1. ff.stellionat.* Verùm à Sereniss. Legislatore Sax. præscripta est **Tax Ordnung. Class 4. §. Mitt-Kuischen/Fütterung/wenn sie vor sich re re.**

§. 22. Nec minus 4.) cum furibus & latronibus colludendo; delictis se obnoxios reddunt, quamvis furtum & rapina, si aurigarum culpa non præcesserit, pro casu fortuito habeatur, tamen si ex collusione aurigarum commissa, omnino furti tenentur. *§. 11. J. de obl. quæ ex qd delict. arg. l. un. tot. Tit. ff. furt. adv. naut. l. 9. C. ad L. Jul. de vi publ. §. 1. 53. in ff. de V. S. propterea quod ipse videtur rem contractasse. arg. l. 1. §. 1. ff. per quem fact. & licet saltem consilium dederunt, modo sit speciale & instructorium. l. 50. ff. de furt. ad quod furtum secutum. l. 52. §. 19. ff. h. t. cum quibus concordat Jus Saxonicum. Land R. L. 2. art. 13. §. Wer Diebe hauset/oder Raub hählet/oder einen mit Hülff darzu stärcket re. vid. Frantz. Exerc. 12. qu. 5. de quâ materiâ vid. prolixè. Berlich P. 5. Concl. 55. per tot.*

§. 23. Aut si 5.] furta & latrocinia ipsi immediatè committant, non solum in magnis, sed etiam minimis rebus. *§. 16. J. de R. D. furtum enim non ex rei subtractæ quantitate, sed ex furripientis animo æstimandum est. l. 37. ff. de Usurp.* Hinc furtum committitur, si de pannò vel coreò, quod vehit, particulas defecet, ex sacco quid extrahat, & illum subtiliter consuat, vel cistam pecuniâ repletam, vel dolium, vel aliquid aliud receptacu-

ceptaculum dolo amoveat, quò perpetrato gravi pœnâ plectendus est. *l. fin. ff. de furt.*

§. 24. Quæstio igitur; An ultimò supplicio auriga è mercibus vel alijs rebus certum locum vehendis, & sibi traditis ultra summam 20. florenorum subtrahens & in suos usus convertens affici possit? R. neg. nec ullâ aliâ quàm fustigationis pœnâ plecti debet, quia accipiendo res ex locato vehendis, furtum propriè non committit. *Land R. art. 29. lib. 2.* cujusmodi pœnam etiam Domini Scabini Lipsienses anno 1605. cuidam aurigæ dictitarunt. *vid. Carpz. Pr. Crim. P. 2. Qu. 85. n. 96. ubi præjudicium. add. Berlich. P. 5. C. 58. n. 17.*

§. 25. Incidenter quæstionem moveo de Aurigis vinum vehentibus, qui nonnunquam gnari sunt hujusmodi nequitia, ut aut nimium aut aliquantum vini dolijs extrahant, atque loco ejus aquam immittant, quasi hoc ipso conscientia labes contrahatur; sed hoc pravum factum compescere solitus fuit Imper. Maximilianus Friburgi, ann. 1487. in *Ordn. und Satzung über die Wein Rub. Von den Fuhrleuten der Weine* etc. ib: *Nachdem auch je zu Zeiten die Fuhrleut und Schifflent/ so Wein zu Land und Wasser führen / und ihren Lohn darumb empfangen / unterwegs in Herbergen / und in ihren eigenen Wohnungen aus den Fässern / so sie also führen / ohn der Herren/deren sie sind/Wissen/und nach ihren Gefallen verzehren/auch an desselben genommenen Weins statt/Wasser gießen/die Faß wiederum damit zu füllen: Soll solches hinführo denselben Fuhrleuten und Schifflenten nicht verheget / gestattet/nach zugesehen/sondern darumb mit sambt denenjenigen/ so ihnen dessen verholffen hätten / es wären Wirths-Knechte oder andere / nach Maasß ihrer Verhandlung an ihren Ehren Leibern und Gütern ohn Nachlassung gestrafft werden.*

§. 26. Ruc referendi sunt Aurigæ Wurcensem & Ileburgensem

genssem singulis septimanis Lipsiam advehentes cerevisiam, quorum quidam subdolè eidem, parte prius exhausta, aquam miscere solent, wann sie unter Weges Bier auszapffen / und die Fässer mit Wasser wieder voll füllen / quod sæpissimè contingit, qui si ejus convinci possint, omninò pœnâ extraordinariâ ob commissum stellionatum afficiuntur. *l. 3. §. 2. ff. stellionat. Carpz. Pr. Crim P. 3. qu. 133. num. 3.* Constat quoque ex *cit. Maximil. I. Constit. de anno 1500. Rubr. von den Subrleuten* / vel ad interesse in tantum, quantum cerevisea per infusam depretiata fuerit aquam. *d. l. 3. §. 1. ff. d. t.*

§. 27, Quemadmodum hætenus aurigas varijs modis in conductores & eorum merces delinquere ostensum est, ita nunc II.) etiam, quomodo in Rempublicam ab eis delicta committantur, ostendendum, quod contingit per vectigalium vel accisæ defraudationem, de quo jam supra *cap. 2. ad §. 8. 9. & 10.* non nihil relatam est. Aurigæ enim aut ratione suorum equorum, aut ratione mercium vehendarum pro invectione & evectione in itinere vel pontibus vectigal non solvunt. *l. 3. C. de Vectigal & Commiss. l. 60. §. pen. ff. locat. vid. Wehner voc. Zoll.* & propterea priori casu vel vehiculo vel equorum amissione multantur. *arg. l. 8. §. 1. 11. Bocer. de Regal. c. 2. n. 211.* ac communiter contra eosdem viâ executivâ per detentionem scilicet vel arrestum proceditur. *Peck. de jure sistendi. c. 4. n. 22.* Posteriori verò procul dubio pœna commissi in eos statuitur. *l. 8. 11. §. 2. ff. de publ. & vectig. & aurigæ ad restitutionem damni tenentur, quæ pœna commissi Lipsiæ etiam usurpatur in minimis rebus, quo fine Senatus Lipsiensis hoc anno corrente d. 13. Junij sub Curia portæ Decretum affigi curavit, inter alia his conceptum verbis: Als will derselbe hier mit jedermänniglich nochmalts ermahnet haben, die aus- und eingehende Zollbahre Güter / sie mögen mit welcherley Gelegenheit es wolle gesendet werden / die reisenden Kellen / Säcke / und andere Behältnüsse an denen Thoren durch den Zöllner*



ner und Thorwärter genau visitiret 2c. 2c. was ohne Waage-  
Zettul gefunden / angehalten und weggenommen / und die  
Kuzscher / so es ohne Waage-Zettul angenommen und auf-  
gepacket / mit willkührlicher Straffe beleet werden sollen.  
Majorem desuper aurigis incutiat terrorem, Ihrer Königl. Maj.  
in Polen und Churfürstl. Durchl. zu Sachsen Leipziger  
neues publicirtes Accis Mandat de Dresden am 28. Augusti  
1698. quod adhuc sub valvis curiæ Lipsiensis videri legique pot-  
est, hisce. So soll das verschwiegene unrecht angegebene und  
untergeschlagene ohne exculpation, Bescheinigung oder Ent-  
schuldigung / wie es auch Mahmen haben möge zum contre-  
band verfallen seyn 2c. 2c. Cætera adducenda vitandæ prolixita-  
tis causâ silentio involvo.

§. 28. Quid si quis auriga res munes & immunes profitea-  
tur, reliquam verò partem celet? tunc saltem pars suppressa in-  
commissum incidit. *l. ult. §. 2. l. 4. §. f. ff. de publ. vect. & si ex igno-  
rantia vectigal non solvatur, justa & invincibilis excusat. l. 8. ff.  
de his qui not. infam. l. 50. ff. locat. Gail. L. 2. Obs. 48. num. 26. maxi-  
mè vero si supina. l. 16. §. 10. ff. de publ. & vectigal. Dn. Lauterb. ad  
ff. d. t. lit. D. D. Struv. in Synt. Jur. Civ. d. l. th. 52. Klock. de contribut.  
c. 19 num. 540. Notandum tamen, quòd ante omnia actor summa-  
riter probet, sibi jus vectigalis sive accisæ competere, fraudem-  
que à Reo esse perpetratam. Maul. de Homag. Tit. 10. n. 5.*

§. 29. Respiciunt III. Aurigarum delicta in itinere perpetra-  
ta etiam ALIOS, puta si via lutosæ tempore, aut ad abbrevian-  
dam viam per prata segetes agrosque transeant, vel quid aliud  
extra ordinariam viam inferant, ob quod factum pignorari pos-  
sunt. *Land R. L. 2. art. 17. Dn. Riebt. Dec. 5. Dn. Mew. ad Jus Lubec.  
art. 3. Lib. 3 Tit. 11 n. 9. Matth. Coler. in Tract. de process. execut. P. 1. C. 3. n. 67.*

§. 30. Quid vero si pignorationi aurigæ resistant, vel pigno-  
ranti summis viribus sese opponant? Quo casu clamore violen-  
tiæ arrestari & detineri solent. *Berlich. P. 2. Concl. 34. n. 21. Land R.  
L. 2. art. 27. & pignora capta Judici traduntur. Berlich. d. l. num. 22.*

Quid insuper pignoratus solvat, vide ex *Carpz. P. 2. Const. El. 27. in med. ubi etiam præjudicium. it. Matth. Coler. de Proc. exec. num. 129.* De alijs delictis v. gr. si quos injuriâ afficiant, aut ipsi aliquid furentur, hoc modò agendum non est, cùm illa delicta non præcisè ut aurigæ, sed absque respectu hujus conditionis ut alij committant.

§. 31. Ab Aurigis IV. in itinere quoque nihil frequentius auditur, quam blasphemias & maledictiones evomere, & quidem adversum equos suos, dum super his excandescunt; Quapropter excusationem non merentur, quoniam ex quadam pravâ asvefactione fieri id asolet, detestatione omninò dignum, & longè à Christianâ pietate recedunt dicentes: **Wenn sie nicht fluchen/so gehen die Pferde nicht;** quamvis sibi hoc severissimè interdictum sciant, *Carpz. P. 4. C. 1.* non inde solùm poenâ arbitrariâ, sed pro gravitate blasphemix vel fustigatione vel ultimò supplicio afficiuntur. *ad d. Carpz. d. l. Def. 1. seqq. Recess. Imper. sub Carol. V. zu Augspurgk. anno 1530. Tit. von Gotteslästerern und Gottschweren §. Darauff ordnen und setzen wir §. 1. &. Und so solche Gotteslästerungen geschehen. it. anno 1548. ibid. d. t. §. So aber der Churfürst. vid. El. Dec. noviss. 75. quod & in der angezogenen Leipziger Rutzscher-Innung fundiret/ubi verba: Es sollen auch die Rutzscher und ihre Knechte auf der Reise des fluchens und Gotteslästerns* *2c. 2c. punct. 21.* Esto quòd aurigâ per ebrietatem irâ commotus blasphemaverit. *Dan. Moller. in Comment. ad Const. Sax. P. 4. C. 1. n. 10. Jul. Clar. lib. 5. sent. 1. §. blasphemia num. 6.* tamen nec à poenâ blasphemix tunc in totum excusatur, sed saltem mitigatiùs decernitur. *Prosp. Farin. tr. Crim. L. 1. Tit. 3. qu. 2. num. 47.* Ne igitur delicta maneant impunita, quilibet qui blasphemias & maledictiones audit, Magistratui denunciare debet: **Reichs. Abschiedt sub Carol. V. zu Augspurgk. Anno 1530. Tit. Von Gotteslästerung. §. 1. &. Und so solche Lästerungen.**

§. 32.

§. 32. Ex hactenus deductis patescit, Aurigam varijs modis delinquere posse, & quidem directè seu immediatè vel indirectè seu mediatè per famulum sufficientem scientiam de vecturâ non habentem; pari enim ratione de omnibus recensitis, ut & alijs factis à famulò commissis & omissis tenetur, quoniam suo periculo ejus operâ utitur, & vehiculi curam ei mandat, *arg. l. 1. §. 1. l. 5. ff. de exercit. act. junct. l. 25. ff. locat. cond.* nec refert, an etiam extra vecturam contra securitatem peregrinantium & rerum vehendarum quid admiserit, famulus v. gr. furtum, licet nesciente aurigâ Principali, quandoquidem sufficit ejus fidem sibi elegisse, quapropter & pro eorum delicto stare debet. *l. un. pr. §. 2. ff. furt. ad. naut.* casu fatali tamen & vi majore, de quâ nec Principalis obligatur, exceptâ. *l. 3. §. 1. ff. naut. caup. Farinac. qu. Crim. 110. n. 124.*

§. 33. Præterea uti in generè statutis locorum, quamdiu subsistant, peregrinantes & sic quoque aurigæ obstricti sunt, licet aliàs jura localia ultra territorij limites vim suam non extendant, *Ruland. à Valle Consil. 49. Coler. de Process. Execut. P. 1. C. 3.* Lipsiæ enim tempore nundinarum aurigæ peregrini currus suos publicæ utilitatis causâ, extra Urbem transferre tenentur, ne plateæ inviæ & arctiores reddantur, advenis passim ambulare & tabernas visitare volentibus hi impedimento sint. *l. 1. ff. de Nund.* Nolo hîc de delictis publicis, quæ Jurisdictionem contra delinquentem fundant eò etiam locò, ubi is competentiam fori non agnoscit, verba facere. *cap. 1. X. de raptor. l. 3. ff. de re milit.* quò casu observantur statuta loci commissionis, nec saltem Cives, sed & forenses juxta hæc puniuntur. *l. 1. §. f. ff. de ventr. inspiciend. l. 50. §. f. ff. de legat. 1.* Sin autem commissa per se & suâ naturâ non sunt punibilia vel turpia, ut pecuniam vel aurum aliasve res extra territorium exportare, aurigæ à poenâ excusantur, si modò justam allegare possint ignorantiam. *Albert. Rosat. Tr. de statut. qu. 32.*

§. 34. Quid si in peregrino loco vel Urbe incendium oritur, an extranei aurigæ ibidem auxilium præstare, & equis suis  
aquam

aquam adducere obligati sint? Pro hujus quaestionis decisione consuetudinis ratio habenda istius loci, ubi oritur; Lipsiae enim peregrini exempti sunt. *punct. 19. der Ruzscher Innung verb: da Brandt oder Feuer entstehen möchte / so soll ein jeder der einheimisch ist / mit seinen Pferden zum Feuer-Eymern eylen / und dieselbe nach den Brand führen.* Ubi verò expressè de hoc itatuto nihil cautum est, nullus obligabitur. / 32. *pr. § 1. ff. de LL. Carpz. Decis. 101. n. 23.*

§. 35. Quaestionem addo exedò, quod quotidie inter aurigas contingit in itinere & vijs angustis præprimis montanis, ubi alius alium sibi adversum non advertit, nec currus curru cedere potest, ubi de curru retrorsum ducendo vehementissimæ altercationes verbera & vulnerationes causantur, imò homicidia, ut nuper in viâ Lipsiensi versus Dresdam factum esse dicitur. Hic observandum illud, quod traditur in *Weichbilde Lib. 2. art. 59.* Der leere Waagen soll weichen den geladenen / und der mindergeladen ist / den schweren / der reitende soll weichen den Waagen / und der gehende den reitenden / sind sie aber auf einer Brücken / und jaget mann einen reitenden / oder einen zu Fuß / so soll der Wagen stille stehen / also lang / daß sie mögen hinfür kommen / welcher Waagen erst auff die Brücke kömmt / der soll zum ersten hinüber fahren / er sey leer oder geladen. *Vid. Zobel. P. 2. diff. 46. num. 1.* Aurigæ igitur in anfractus & loca angusta incessuri cautè faciunt, si ante incessum viæ scuticâ acutè signum dent adventûs, quò sonò motò, alter ex adverso subsistat, & transitum exploret. *add. Dion. Pontan. ad Tit. 13. §. 7. consuet. doc.*

§. 36. Rem in viâ fortuitò amissam auriga si inveniat, debito modo indicare, & loci Magistratui deferre debet, quò in loco publico proclametur, *Mev. ad Jus Lubec. L. 4. Tit. 1. art. 9. num. f.* quod si neglexerit & rem inventam celaverit, furti suspectas redditur. *Mev. ad J. Lub. d. l. in f.* adeò ut postmodum nec juratæ ejus  
asser-

assertioni, quod animò non lucrandi eandem sustulerit, credatur. *Menoch. §. presumt. 30. num. 11.* Cum verò minus sit occultare, quàm Domino possidenti rem suripere. *Trentler. Vol. 2. Diss. 20. tb. 3.* occultans saltem extraordinariâ coërcetur poenâ.

§. 37. Tandem aurigis in hospitij mercenarijs cautè circumspecteque agendum, ne res & merces currui impositæ lædantur, neque illi chartarum ludis dediti sint, ne pecuniam perdant, quâ pro prandio, stramine, avenâ satisfaciant, neque causam præbeant hospiti res etiam ad conductores spectantes arripendi & loco pignoris detinendi. *Carpz. P. 2. C. 25. D. 22. n. 5.*

#### CAPIT IV.

##### De *Jure Aurigarum, itinere jam absolutò.*

###### §. 1.

**V**entilata sunt hucusque ea, quæ tam ante iter, quàm in ipso itinere aurigis competunt, & ad quæ sint obligati, restat adhuc paucis declarare, quid itinere absoluto circa Aurigas notandum sit. Ante omnia cum Auriga peregrino ex loco e. gr. Lipsiam cum currui mercibus onusto veniat, & iter absolverit, dictæ sub urbis portâ eum omnes vectas merces profiteri & indicare oportet, quæ deinde in schedulam aliquam **auff den Thor-Zettul** cum equòrum numero scribuntur, & hæc aurigæ traditur, postea in forum vehere ei injungitur, nec prius currum exonerare debet, quàm accisa & vectigal, **Accis un Waage Gebühren** soluta. cf. **E. Edl. Hochw. Raths der Stadt Leipzig Waage Ordnung. §. 5.** So soll auch ein jeder Bürger **ic.** Dictæ exonerationi semper adesse solent auxiliatores, **Abländer**/qui merces an tales, quales indicatæ sint, examinant, quod si defraudatio detecta fuerit, non solum poena **nach der Waage Ordn. §. 6.** sed etiam confiscatio in defraudantes statuitur. *pre-ter. dd. LL. potest videri cap. 11. §. 2. alleg. Accis Mandat.*

§. 2. Consuetudine quoque non solum Lipsiæ, sed etiam No-  
**E** rimbergæ,

rimberge, ut & alibi locorum receptum est, quod adventantes aurigæ itinere absolutò ad eant institorem vecturæ sive mercium, **den Güter Westädtiger** / tradendo ei literas vectorias (**Fracht-Brieffe**) quibus mediantibus hic Mercatores interpellat, ut mercedem aurigis pro præstitâ operâ secundum dictarum literarum contenta *l. 43. ff. de R. J. §. 1. §. 2. §. 3. ff. de pact.* solvant, quam iste acceptam aurigæ, retentis pro uno quoque vehiculo laboris habitus causâ aliquot grossis, reddit. *l. 1. §. 2. ff. de pact. l. 3. ff. de pollicit.*

§. 3. Ubi autem talismodi consuetudo recepta non est, auriga conductorem, cui merces exhibitæ, ipse adit, ut sibi mercedem & impensas mercium gratiâ factas, nec non vectigal in itinere solutum reddat, quod nec mercium Dominus recusare potest, nisi damnum mercibus datum sit; quamobrem de executione eorum, quæ ante iter vel in itinere contigerunt, & de actionibus vel ab Aurigis vel contra Aurigas instituendis, ut & competentibus remedijs extraordinarijs pauca disserturus sum.

§. 4. Huc (1) referendum est jus retentionis, quo aurigæ utuntur, si solutio mercedis pro rebus vectis difficulter speranda, donec pro pretio vecturæ convento & impensarum nomine satisfiat. *Coler. Proc. Exec. P. 4. C. 2 num. 241. Carpz. P. 2. C. 25. D. 21. num. 5. Magnif. Dn. D. Schwendendorff in Disp. de Retent. Lips 1675. habit. §. 32.* Posset quidem objici, non competere tacitam hypothecam aurigæ in mercibus illatis, quia illius nulla lex meminit, & sine hac nulla competat. *Barbov. Traç. de pign. lib. 1. c. 4. R. à jure retentionis ad tacitam hypothecam non valere consequentiam, cum retentio à jure pignoris non dependeat. arg. l. 13. §. 18. in f. ff. de act. emt. vend. nec ista nullo prætextu aurigæ denegari potest. vid. Dick. Decis. 658. n. 18. Wesenb. Cons. 304. num. 101. Coler. de Process. Exec. P. 1. C. 2. num. 263.* & hoc juris beneficium in securitatem creditorum summâ ratione inventum est.

§. 5. Propterea tamen aurigæ non gaudent privilegio prælationis quoad creditores hypothecarios livè alios pinguius jus habentes.

habentes. *Carpz. Dec. 66. imprimis num. 22. Berlich. P. 1. concl. 64. n. 73. Richter de Privilegio Creditorum c. 2. membr. 3. n. 15.*

§. 6. Datur (2.) Aurigæ ejusque hæredibus locati actio. *l. 24. 29. C. de locat. cond. adversus conductorem & ejus hæredes. dd. LL. ad consequendum id, quod ipsi ex hoc contractu & ejus occasione debetur. pr. J. de locat. cond. ad mercedem in pecuniâ numeratâ obtinendam. §. 2. J. d. t. & l. 5. §. 2. ff. de P. V. quæ finita demum operâ debetur, Mantio. de tacit. conv. l. 5. tit. 6. n. 3. Carpz. Decis. 136. num. 6. & ad sumptus in rem vectam erogatos. l. 38. ff. de R. V. nec non mercium vectigal, equorum enim ipse ferre debet. arg. l. 1. §. 2. ff. de pact. l. 3. ff. de pollicit. denique ad interesse, si conductor vel vehendi moram fecit. l. 25. C. de locat. l. 11. §. 3. ff. d. t. quod arbitrio Judicis definitur. Si 3.) loco mercedis non pecunia numerata, sed quid aliud promissum sit, comparata est actio præscriptis verbis. *l. 5. §. 1. ff. de P. V.**

§. 7. Nunc tandem deveniendum est ad casum quî mihi hanc conscribendi dissertationem hanc præbuit ansam. Frater meus mercator cuidam Aurigæ nomine Christophoro **Hartmann** / Vratislaviæ mercium quantitatem præterpropter triginta & ultrâ centenarios per aversionem Görlicium transvehendam locaverat. *Dn. Lauterb. ad ff. locat. cond. lit. L. Vinn. ad L. t. §. 15. ff. de exercit. act.* pro quolibet centenario loco mercedis circiter 20. grossos promiserat, inque contractus perfecti confirmationem ei statim 12. thaleros solverat. *l. 6. C. de resc. vend. l. 5. C. de O. & A. annexâ hâc expressâ declaratione, ut peractâ vecturâ & translatis Görlicium mercibus, & ibidem cateri solverentur, quod utrinque placuit, l. f. §. f. ff. ad L. Rhod. de jact. hoc peracto, suo famulo **Friedrich Brenzeln** / merces ad destinatum locum transvehendas mandavit. *arg. l. 5. & §. seqq. l. 11. §. 6. l. 16. 18. ff. de inst. act.* qui famulus Görlicium adventans mercês in currum collocatas non ad ædes Fratris, sed ad locum, ubi merces trutinâ examinari solent, **vor E. Edl. Rath's Waage** transtulerat, ubi*

invito & contradicente fratre non solum merces, sed etiam reliqua suppellex ad famuli instantiam ponderatae sunt, & adaequarunt 46. centenar. quod ex disparitate & levitate ponderis Görlicensis fieri potuit. Motâ capropter à dicto famulo actione locati, Senatus fratrem meum ad reliquorum centenariorum solutionem & expensarum causatarum refusionem condemnavit, sed à publicato hoc decreto multorum gravaminum ergò ad Superiorem statim Frater provocavit, & correctoria sententia hoc anno Mens. Febr. hisce concepta verbis secuta est. *Nuff vorbringen und beschuldigten Ungehorsam in Appellation Sachen Caspar Wietzen Appellants an einen / Friedrich Brenzels / Appellaten anders theils / Erkenen wir &c. &c. daß Appellant, daß jenige / was ihm beyzubringen nachgelassen / und Er sich angemasset / zur Nothdurfft beybracht / derowegen auch dießfals wohl appelliret / und ist demnach Appellants Principal daß libellirte Fuhrlohn nicht nach den bey der Stadt Görlich befundenen Gewichte noch auch die aufgewandten Unkosten zu bezahlen schuldig / sondern es läßet Appellaten Principal und und Christoph Harttmann den auffgerichteten Vergleich gemäß von 37. Centner mit 20. gr. vor jeden Centner sich billich vergnügen. B. N. W.*

§. 8. Pensitatum hactenus locati actionem excipit actio conducti conductori competens, *pr. 7. de locat. l. 8. 9. pr. ff. d. t. & in hæredes transitoria l. 19. ff. d. t. mediante quâ agunt conductores ad omne id, quò ex hujus contractus naturâ vel pacto adjecto debetur. pr. 1. de locat. cond. l. 15. § 1. in f. l. 21. ff. b. t. & l. 1.) ad usum vehiculi præstandum 2.) merces vehendas, l. 7. 8. § 9. ff. locat. à cuius tamen præstatione auriga liberatur hoc quod interest præstando. arg. l. 13. § f. f. ff. de re jud. Vinn. ad §. f. 7. de V. O. Frantz b. t. num. 155. nec non 3.) ad damnum refarciendum, l. 19. § 1. ff. locat. cond. Vid. Pantschmann. qu. 5. potest etiam in hoc iudicio ratione mercedis solvendæ uti compensatione. Coler. Process. Execut. c. 1. n. 240. seqq.*

§. 9. Dum igitur Aurigæ magis per famulos, cuius supra mentio facta, quàm semet ipsos operas præstant, Q. An etiam pro famulis conveniri possint? De quo non dubitatur, nam si per illos damnum datum sit, contra Principalem & ejus hæredes in-

stitui



stitui potest actio. l. 4. §. 4. ff. locat. cond. §. 2. I. quod cum eo qui in al. pos.  
cum quod quis per alium facit, ipse fecisse intelligatur. l. 1. §. 12.  
ff. de Vi & vi armat. & perinde est, an IMMEDIATE, an ME-  
DIATE h. e. per famulum exercuerit vecturam, relinquatur tamen  
Conductoris arbitrio, an famulum, an ejus Principalem conve-  
nire velit. l. 1. §. 17. ff. de exercit. act.

§. 10. Moveretur etiam Quæstio; An non contra aurigas actio  
de recepto institui possit? R. neg. quia hæc actio solum in odium  
Nautarum Caup. & stab. est introducta. Mascard. de Probat. Concl.  
833. num. 14 in f. Peck. ad l. 1. §. ult. ff. Naut. Caup. stab. num. 3. nec  
ullibi reperitur, quod contra aurigas intendi possit, adversum  
quos ordinaria sufficit. Limitari dicta videntur in Aurigis simul  
artem cauponariam exercentibus, so zu gleich Gastwirthe mit seyn.  
l. 1. §. 2. ff. de Naut. caup. & stab. Uti Leucopetræ reperitur Rhedarius extra  
Urbem habitans, cujus ædibus signum appositum est, qui viatores & eo-  
rum res Lipsiâ Longofalissam per famulos vehere solet; Leucopetram ad-  
ventantes ibi prandere, canare & pernoctare solent. Quod igitur tunc  
temporis ob damnum datum hæc actio institui contra Rhedarium queat,  
extra dubium est.

§. 11. Nec è re est vel leviusculè delineare modum compellendi au-  
rigas, si contractus oblatâ pro operâ præstandâ pingviorē mercede adim-  
plere nolint; expediti quippe est juris, mediante modò dictâ conduclī a-  
ctione ad præstandas operas promissas aurigas cogi posse, sed ex naturâ a-  
ctionis, uti videtur non nisi ordinario processu; cum autem conductores  
in procinctu esse soleant aliò migrare, Carpz. Proc. Tit. 1. art. 1. num. 71.  
Judex imploratus æquitatis intuitu litem summariter & quasi velato velo  
tractare potest, ne prolixiore lite detineantur, & magno cum dispendio  
in alieno loco juris executionem expectare necesse habeant. Stew. ad Jus  
Lubec. lib. 3. Tit. 1. num. 51. Cum vecturâ mercatura non parum promo-  
veatur, illius ut hujus causæ ad summarias relatæ sunt. Vid. Martin. in  
Comment. ad Ord. Proc. Sax. in Rubr. num. 13 & Excellentiss. Dn. D. Philipp.  
in Diss. de Demonstratione c. 3. §. 7. Quemadmodum & Lipsiæ ad Judicium  
mercatorium vor & Handels/Verichte trahi & ibi ventilari solent. Hoc sal-  
tem addendum in aurigis, sive actores, sive rei sint, quod in loco 1) Contra-  
ctus Gail. L. 2. Obs. 4. n. 4. (2.) ubi solutio fiat. l. 19. §. 1. & l. 20. l. 45. §. 4. ff.  
de Judic. cum effectu conveniri possint. d. l. 19. §. 4. l. 21. ff. de O. & A. l. un. C.  
ubi conv. qui cert. loc. dar. §. 12.

§. 12. Exinde scrupulo caret, aurigam literas vectorias, quamvis scripturam alienam alij ad recognoscendum offerre & producere posse, conventus etiam eas productas recognoscere tenetur: Hinc cum nuper anno curren- te M. Jan. auriga C. S. coram Judicio Mercatori o Lipsiensi Dn. E. S. Mercatorem Lipsiensem ex sequentibus literis vectorijs:

Lüneburg den 26. April. 1693.

**S**chgeehrter Herr Salut. Mit Zeigern Fuhrmann C. S. von N. über- sende dem Herrn in Nahmen und Geleite Gottes unter ausste- henden Signo 1½ Piepe Wein / gewogen 4. Schß 14. Lth im Lohn 4. Rthlr sage vier Reichsthaler / nach richtiger ohne Schaden wohl con- ditionirter Lieffernung zahle der Herr ganze Fracht / Gott begleits dehm e- befohlen verbl.

Herrn

Des Hn. Dienstw.

Herrn E. S. großgl.

A. S.

nebenst 1½ Piepe Wein in Leipzig.


conveniret, & reus E. S. recognoscere nollet, variasque ad evitandam re- cognitionem exceptiones objiceret, sequens decretum dabatur: Der pro- ducirte Fracht-Brieff wird pro recognito geachtet / derowegen Beklagter die lib- litten 10 Rthlr. nebenst den Uncosten und Interesse zu bezahlen schuldig.

§. 13. Econtrario cum aurigæ in judicio, ut compareant, sive obliga- tio dependeat ex contractu vel quasi, sive ex delicto vel quasi citantur, & hi retardant, & metuendum, ut abeant, & Urbe discedant, potest adver- sarius apud Judicem ein Verboth impetrare, ut detineatur. Vid. Carpz. P. 1. C. 30. D. 18. Ubi præjudicium, nec debet hospes eos prius dimittere, quam li- te composita, conductori satisfactum sit. l. 7. §. ult. ff. qui satisd. cog. Carpz. P. 1. C. 30. verb: So lange bis sie gewisse Versicherung gemacht / daselbst arrestiret und verkümmert werden mögen. Matth. Coler. de Process. Ex- ecut. P. 1. cap. 2. num. 9. Carpz. d. l. D. 19. num. 2. seqq. Tali modo tam arrestum personale, quam reale contra aurigas decerni potest. Cessant tamen hæc beneficia tempore nundinarum NB. solennium, quod videre est ex verbis Privilegij ab Imp. Maximiliano I. Senatui Lipsiensi aó. 1497. concessi. Alle und jegliche Personen / so die vorgemeldten Jahr-Märckte mit ihren Kauffmanschaften Haab und Güthern besuchen etc. etc. & de aó. 1507. in verb. Desgleichen die Wahren und Güter / so zu und von bestimbten Märckten und Niederlagen getrieben und geführet werden / nicht sollen aufgehalten / verhindert / vder rechtlich arrestiret werden etc. Quid? quod durantibus nundinis non possunt detineri, nec in jus voca- ri ex Causâ Civili privata. l. un. C. de Nund. Carpz. P. 1. C. 30. D. 24. Lau- terb. ad Tit. ff. de Nund. lit. E. ubi plura legi possunt.

SOLI DEO GLORIA.

ULB Halle  
003 633 330

3



A

1394





penit  
comm  
tum  
negot  
satis  
Causi  
opera  
didēr  
becill  
pita,  
defini  
Jure  
dispe  
ejus  
in eju

**N**  
Jcti  
tione  
J. l.  
tamer  
hinc a  
redde  
Aurig  
svetis

ebema destinarem, me  
r atque Sororis quā vi  
is vili sibi quarentium  
us materie cognitionem  
prebuerunt. Quibus de  
S verborum prolixitate  
sim Dd. de Aurigis ira  
us parum instructi im  
erre, inque quatuor ca  
ne, Varietate, Societate  
e iter institutum 3.) de  
ipsum itinere absoluto  
eroptimus Maximus, ut  
x faciam auspiciū, &  
finem attingam!

te, Societate,  
tu,

ouli, in rubro conten  
a, quā Synonymicā,  
Interim tamen, cum  
explanatione & inquisi  
nstat ex l. 1. pr. de J. &  
od potior rerum, prior  
l. 7. §. ff de supp. leg.  
tationis inscriptionem  
lexicographos vocem  
galis aures religari con  
regere, quia lora  
regere

rege  
rea  
si lit  
sit a  
aur  
inec  
VIA  
sau  
Glo  
exi  
ca  
pel  
ctu  
L  
M  
fac

hi  
le  
fi  
n  
p  
a  
o  
a  
n  
e  
l  
u  
r

